

Johann Georg Dorsche

**Rector Universitatis Rostochiensis Johannes Georgius Dorscheus D. & Professor Theologus, Ad Exequias Florentissimi Pueri Conradi Schuckmann/ Rostochiensis, die X. Iulii ... morte extincti, Quas Moestissima Mater hodie ... paratura est, praesentia numerosa cohonestandas Omnes omnium ordinum ... invitat & exhortatur ...**

[Rostock]: Kilius, 1659

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777426676>

Druck    Freier  Zugang



Dorscheus, J. G.,

i n

C. Sch v eck m a n n (*Sohn*)

Rostock, 1659.

Angebunden ein Leinwandc. ihs (Theodoras funeralis)

C. Schuetzmann (Vater) 1659

4







RECTOR  
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS  
**JOHANNES GEORGIVS**  
DORSCHEUS D. & PRO-  
FESSOR THEOLOGUS,  
AD EXEQVIAS  
**FLORENTISSIMI PUERI**  
**CONRADI**



SCHÖCKELIANI  
ROSTOCHIENSIS,

die X. Julii, hora I. noct. placidissima  
morte extincti,

Quas

Möstissima MATER

hodie hora I. pomeridiana, h.c. XIV. Jul.  
illi paratura est,

præsentia numerosa cohonestandas

Omnes omnium ordinum Literatos & literarum  
fautores, Cives præprimis Academicos,  
velut

ad mortalitatis per omnes ætates grassantis theatrum  
peramanter & studiose invitat & exhortatur

Salutem perennem precatus !

---

Typis Hæredum NICOLAI KILII, Acad. Typ.  
ANNO M. DC. LIX.

47

**B**ONAVENTURA hodie in fastis nostris  
lucet. Alii eum *Eutychium* vocant, quod no-  
mini Bonaventuræ responderet. Alii *Eustachium*,  
Alii *Fidanzam*, seu *Fidanzium* appellant. Ordini Fran-  
ciscanorum, quos Minores vocant, se addixit ille, & sub  
*Alexandro ab Ales*, scriptore illius seculi famigeratissimo,  
Theologiam, quam vocant, scholasticam egregio profe-  
ctu complexus est. Dicebatur adeo mores & scientiam  
cum pietate conjunxisse, ut idem ipse Præceptor ejus *Alex-  
ander ab Ales* de eo dicere soleret, videri sibi, *Adamum* in  
Bonaventura non peccasse, quod eatenus concedi potest, qua-  
tenus certissimum est, Bonaventuram, uti omnes homi-  
nes, (Rom. 5,12.) in Adamo peccasse. Insigniter in laudes  
ejus assurgit *Joh. Gerson* *Cancellarius Ac. Parisensis*, in opus-  
de libris legendis, consil. 5. cum ait: Singulariter inter omnes  
Doctores Ecclesiæ Catholicæ videtur Bi. Bonaventura idoneus, &  
securissimus ad illuminandum intellectum & ad illuminandum  
affectionem. Hoc nomine illū plerisque aliis Theologis præfert, quod,  
ut solidus est, inquit, pius, securus, & devotus, sic recedit, quo ad  
ejus fieri potest, à curiositate, neque positiones immiscet extraneas,  
vel doctrinas seculares Dialecticas aut Philosophicas theologicis  
terminis obumbratas, more multorum: sed dum studet illuminan-  
tioni intellectus, totum refert ad pietatem ac religiositatem affe-  
ctus. Quare, subdit idem, factum est, ut ab inde votis schola-  
sticis (quales prob dolor & nos habemus plurimos) quorū  
prob dolor major est numerus, ipse ming extiterit frequentatus.  
Sic Gerson, qui alibi ita Bonaventuram extollit, ut Seraphicum  
Doctorem vocet, & Cherubicum, adeoq; promeritum,  
ut instar Cherubim & Seraphim in Ecclesia magnificat. Johannes  
Trittenhemius, Abbas Spanhemensis de script. Eccl. hoc  
cum mactat elogio: S. Bonaventura in scribendo profundus,  
non verbosus; subtilis, non curiosus; disertus, non vanus; flam-  
mantia, non instantia verba proferens. Unde & securius legitur  
& facit.

& facilius ab amante intelligitur; & utilius frequentatur.  
Pauci verò scribendo libros docuerunt utrumq;. Bonaventura a.  
& multos superavit & paucos, dum ejus doctrina devotionem,  
devotio instruit doctrinam. Si ergo & doctus vis esse, & devo-  
tus, illius opusculis esto intentus. Thomas Aquinas, qui eo-  
dem tempore cum eo vixit, (utrumq; enim Card. Bellar-  
minus de scriptoribus Ecclesiasticis in ann. Chr. 1262<sup>1</sup>  
collocat pag. 365.) eum dum viveret sanctum appellavit.  
Natus est Balneoregii, quæ Pontificiæ jurisdictionis urbs  
est, Hetruriæ finitima. Adjunxit se ordini & societati  
Franciscanorum, cujus postea Minister generalis factus est.  
Insuper Albanensis Episcopatus ipsi collatus est. Cardinalis  
creatur à Gregorio X. non in feriis Pentecostes & in Con-  
cilio Lugdunensi, ut multi scribunt, quos refutat Card.  
Bellarm. l. c. sed ante concilium, & forte A. 1275. m. De-  
cemb. Nam in ipso Concilio Lugdunensi, quod Occume-  
nicum vocatur & numerosissimo Ecclesiasticorum confu-  
xu celebre fuit, tempore Gregorii X. Pontificis, & Ru-  
dolphi Rom. Imp. ac Michaelis Palæologi Constantino-  
pol. Imp. celebrato, quod Romæ primum fuit editum,  
postea insertum Tom. 3 part. 2. Concilior. pag. 738. & seqq. in-  
veniuntur S. Bonaventuram residere cum coeteris in prima  
sessione. Prima a. sessio celebrata est Anno 1274 d. 7. Maii,  
triduo ante Ascensionis festi. Unde fallitur Anton.  
Possevinus cum in apparatu p. 233. illam tententiam, quæ in  
ipso Concilio eum fuisse mortuum tradit, retinet. Nec  
fortassis verum est, quod idem scribit, post obitum illum mi-  
raculis claruisse. Sextus IV. vanissima arrogantia eum in  
sanctorum catalogum retulit. Lugduni in Galliis sepultus  
fuit. Valde deplorat Possevinus, quod corpus ejus, cui Ca-  
tholici plurimam semper venerationem exhibuerunt, cujusq; no-  
mini in Dei gloriam insigne, quod extat, templum excitassent,  
anno superioris sexagesimo primo Calviniani in profluentem

Araris,

Avaris, qui mox in Rhodanum influit, proiecerint, sicut & alia corpora Sanctorum Irenei, & aliorum, vel combusserunt, vel disperserunt. Gaudet tn., caput sive cranium Bonaventuræ servatum fuisse opera pii Religiosi Iesu demordinis, miris ob id cruciatibus ab iis affecti, ut Ecclesia thesauros & vasa sacra promeret, quod constanter tacuit: & addit Possevinus: Hisce rebus cum eodem tempore Lugduni interfuerim, nolui rem taceare, ut & quoddam martyrii genus in Bonaventuræ corpore tanto post tempore fuisse intelligatur. Laurentius Surius in vita Sanctorum tom. 4. mense Julio recenset vitam ejus Oratione expositam ab Octavio Martiniano Suessano Sacri Consistorii Advocato coram Sixto IV. Pontifice M. cum Regum & aliorū Principum nomine, imò voto totius Christiani orbis dementati peteret, ut in sanctorum numerum Bonaventura referretur; est verò oratio ea à Surio circumcisæ, & resecta, quæ ipse ad historiam parum profutura ex ingenio suo judicaverat. Repetiit vitam ejus Petrus Gallesinius superiori seculo. Extant Sixti IV. Pontificis diplomata Tom. 2. opusc. Bonaventuræ, editionis Vaticanæ Bibliothecæ, memorante Cæs. Baronio in notis ad Martyrol. Roman. Julii 14. p. 430. Nam in editione antiqua Argentoratensi A. 1495. illud non repertio. Occurrit a. T. 2. opusc. p. 325. Apologeticum Bonaventuræ contra objectionem Clericorum, qui contra Franciscanos querebantur: quod ipsis surripiunt eleemosynas, quæ Clericis darentur, si Franciscani non essent: quod detrahant eis in populo, & confundant eos in prædicationibus suis, vitiæ eorum propalando: quod suadent hominibus, ne Clericis confiteantur, nec dent eis oblationes & alia, quæ deberent, cum Franciscani potius, quam Clerici sint, qui pro animabus Laicorum rationem sint reddituri Domino. In response ad hæc accusationis Franciscanorum capitula Bonaventura plurima Clericis exprobrat, quæ corruptissimos illorum mores detegunt, quæ alibi explicanda sunt

sunt. Plura etiam de Bonaventura habet Antoninus Florentinus in 3. part. hist. tit. 24. c. 8. & 9. Abrahamus Bzovius Polonus, Dominicanus religione, audacia historicus, (ut eum vocat Johann. Georg. Herwartus Cancellarius Bavarius in vindictis Ludovici Bavarii Bzovio oppositis) in contin. Annal. Ecclesiast. T. 13. ann. Chr. 1270. num. 13. ita in extollen- do Bonaventura rhetoricitur. Ille qui in caelis formavit Arcturū & Orionē, & hyadas, & auroram & Solem ad exumbrandas quantas quantas cœcas noctes etiam hoc seculo & anno non pauciores stellas in perpetuas aternitates lucentes, sive suscitavit, sive conservavit, sive etiam excitavit ad discutiendas tenebras, ad sagittas in die volantes retundendas, & ad incursum dæmoniumq; meridianum depellendum inter reliqua Ecclesia & sydera, D Bonaventura Ordinis Minorum & D Thomas Aquinas Ordinis Prædicatorū, tenebrionib; suffundendis & erroribus exterminādis, tum verbo, tum scriptione supra omnes reliquos hujus & plurimorum aliorum seculorum Doctores, plurimum lucis affuderūt. D. Thomas fere solus Manichæos, quos hoc tempore impugnabat, sibi designarat. Aliquando à D. Ludovico Rege Gallorum ad convivium invitatus atq; mensa assidens, non potuit ardorem, quo Manichæos impugnare flagrabat, non prodere. Ex vehementissima enim meditatione in extasi raptus, & tandem ad se reversus, mensa manu percussa, Conclusum est, inquit, contra Manichæos. Non impar viribus D. Bonaventura utroq; (Manichæos & Waldenses) utroq; lacerto armatus exagitavit, profigavit & prostravit. Si vera sunt ea, quæ Bzovius codem Tomo ad ann. Chr. 1275. n. 9. scribit, quo magis scientia & dignitate emerserat, eò magis mentis humilitate semetipsum deprimebat. Neq; n. ut pleriq; literarum scientia inflati vilia ministeria fastidiebat, sed tanta alacritate eaq; spontanea, domestica munia obibat, ut aliis non modo ingentem admirationem, sed superioribus etiam, eum ab ejusmodi officiis impedire conantib; indignationem, si dicere licet, commoveret. Neq; segnius interim charitatis officia præstabat, cum oculis in omnes fratres intentis

alios tristitia affectos dulcissimis verbis solabatur, alios profes-  
sionis sua pénitentes monebat atq; confirmabat, tanta gratia &  
autoritate, ut nullus ab eo discederet, quin libens cœptū iter pro-  
fessionis prosequeretur. Infirorum præterea cura supra quam  
credibile est oblectabatur, & quo gravioribus magisq; contagiosis  
morbis conflictarentur, eò magis se totum illorum obsequio appli-  
cavat. Quibus officiis cum majorem diei partem absumeret, non  
eo minor erat in publicis lectionibus, & interpretationibus scri-  
pturarum, quas tantis luminibus illustrabat, ut ipse autor illorum  
non immerito putaretur. In capitib; verò & questionib; ad totiq;  
ordinis salatem decidendis tanta illius erat sapientia, ut cuncta  
ad illius judicium tanquam ad Lydium lapidem explorarentur.  
Hæc & alia plura Bzovius. Ex quibus id tantum notam9,  
quod sub finem ab eo additur: Anno post ejus obitum 160.  
cum ejus corpus in novam basilicam transferretur, reliqua par-  
te alioquin exesa, caput tamen solidum, capillamentum hærens,  
labia, dentes & lingua in nullo à vitali statu aut colore demuta-  
ta reperta sunt. Si corpus Bonaventuræ, cum in novam Ba-  
silicam Lugduni translatum est, usq; adeò fuit exesum, ut  
solum caput solidum & capillamentum hærens, & labia,  
dentes, lingua in nullo à vitali statu aut colore demutata  
reperta sint, cur adeò in Calvinianos destomachatur Pol-  
sevinus, quod corpus ejus in profluentem Araris dejece-  
rint, ut tandem in Rhodanum diffueret? Si centum & se-  
xaginta annis post obitum jam corpus planè fuit exesum  
atq; consumtum, quid superfluisse putabimus tempore va-  
stationis Calvinianorum, de qua conqueritur Polseving,  
quæ centū viginti & ultra annis postea demum contigit?  
Imo si centū & viginti annis post depositionem in novam  
Basilicam Lugdunensem jam caput, quod tempore trans-  
lationis in eam adhuc fuit solidum &c. adeò fuit detritum  
& comminutum, ut præter craniū nihil superfuerit, quid  
arbitrabimur de exesis corporis reliquiis, quales erat 160.  
annis post sepulturam Bonaventuræ, tempore grassantū,

de quibus conqueritur Possevinus, Calvinianorum? Plu-  
ra de Bonaventura, quæ & in scriptis & in factis ejus an-  
notare in proclivi est, nunc non addimus. Transimus ad  
puerulum nostrum, quem ad BONAVENTURA trans-  
tulit optimus maximus Deus. Amplissimus ejus Paren-  
p. m. cum spem de eo uterū connubialis promitteret,  
BONAVENTURA de eo sibi pollicitus est, quæ amœ-  
nissima pueritia, adolescentia florida, juvent⁹ ad omnem  
virtutem composita suppeditatura esset. Sed ille ad æter-  
na bona ventura præceptus est, ut in his terris hoc bonum  
venturum videre non potuerit. Pientissima Mater, quod  
conceperat BONUM VENTURUM, tandem incom-  
parabili cum voluptate ulnis fidelibus exceperat; & jam  
parenti exosculandum porrigere gestiens novum sense-  
rat luctum ex eo, quod eum in communionem suorum  
gaudiorum advocare non potuerit. O quoties cœlum sol-  
licitabat & madentibus suspexerat oculis, ut eum in com-  
munionem illam desideratissimam adscisceret! Sed ali-  
ter visum est illi, qui omnibus optimè providet. Cum Pa-  
renti descendere incommodum esset, nec opportunum,  
transtulit Filioli animam, pulcherrimam ejus partem, ad  
Parentem summus Pater. Non invidebit optima Mater  
Parenti hoc gaudium, quod ex Filioli conspectu habuit:  
nec Filiolo has delicias, quas ex Parentis in cœlis ample-  
xibus sentit, qui si in terris diutius manisset & ad eam ex-  
crevisset æratem, quæ Parentem noscit & requirit, serò  
demum boni amissi damna sensurus fuisset. Sed ad filioli  
nostris origines redeamus. Originem in his terris habuit  
Rostochii Ann. Chr. 1659. 18. Jun. circa horam I. nocturnam. Patrem habuit Consultissimum & excellentissimum  
virum, Dn. CUNRADUM Schuckman J. II. D. & Profes-  
sorem Vicarium, Judicij Provincialis Assessorem designa-  
tum, vix trib⁹ abhinc mensibus magno apud bonos quo-  
cunq; sui desiderio relicto nobis sublatum: Matrem flo-

Fentissimā feminā, DN. ANNAM CATHARINAM  
Nesin/ viduam mōroribus cumulatissimam, & procul du-  
bio cōcelestib⁹ etiam solatijs ditandam. Avum paternum  
habuit Virum Amplissimum & Excellentissimum Dn. D.  
**HENRICUM Schuckman** / Jctum consummatissimum,  
Antecessorē in Codicis Professione clarissimum. Consi-  
storiiq; Ducalis Assessorem nunquam sine elogio memo-  
randum, p. m. Aviam paternam habuit emendatissimam  
matronam ANNAM Stechawin/ amplissimi viri Dn. Alberti Stechowen  
Præfecti ad S. Petri, filiam, p.m. Avum maternum habuit prudentijs, vi-  
rum Dn. Joachimum Nesen, civitatis hujus Senatorem meritiss. Aviam  
maternā habuit eximiā florentissimāq; matronam Annam Sibrandiam,  
ampliss. & Excellentiss. viri Dn. Johannis Sibrandi, Jcti & Antecessoris  
primum Academicī, deinde Syndici hujus civitatis clarissimi filiam, quæ  
postquam conjunctissimo marito Dn. Nesenio viduata fuit, nunc in tha-  
lamo Ampliss. & Excellentiss. Dn. Reinholdi von Gehren Senioris, pru-  
dentissimi hujus civitatis Nestoris & Syndici emeritissimi felicissime de-  
git. Proavum paternum habuit virum honoratissimum, Hermannum  
**Schuckman** civem Osnabrug. in Westphalia ornatissimum. Proaviam  
paternam habuit feminā pietate & virtute condecoratissimam Annam  
**Flörkens**. Proavum maternum habuit spectatiss. virum, Dn. Johannem  
Nesen/ civem Gustroiens. præcipuum. Proaviam maternam feminam  
multis ornamenti conspicuam Annam Gerstenbergers. Ex his cum pau-  
cos in his terris superstites habuisset infans ornatissimus, in cœlos ad plu-  
res transmigrandum illi fuerat, ut inter BONAVENTURA majores su-  
os amplecteretur. Itaq; postquā novā originem in regno gratiæ per salu-  
tare regenerationis lavacru consecut⁹ & paterni nominis symbolo mun-  
to fuisset inq; vitæ librū relat⁹, in regnū gloriæ animulā ejus transtulit deus  
misericors, postquam hujus lucis usura fruebatur per 22. dies, & ad extre-  
mū catarrho suffocativo interveniente à corpore separabatur. Jam igitur  
BONA VENTURA nobis ipsi BONAPRÆSENTIA sunt, quibus in so-  
cietate incomparabili fruetur usq; ad magnū consummationis omnium  
diem, quo tenellum hoc corpusculum, ad cuius funerationem, hodie fa-  
ciendam, amice & piē nunc invito, animæ æquabitur & florebbit perenni-  
ter. Venite ergo, ô mei, ad exequias pueruli pridem pulcherrimi, & pro-  
sapiam corporis honesta ad tumbam deductione veneramini. Ita hæc  
requirit! Ita vestra poscit pietas! Perscr. Rostoch. sub Sigillo Acad.  
An. Ch. 1659. 14. Julii. Conventus fiet ad horā l. in templo Jacobeo.





Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn777426676/phys\\_0014](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777426676/phys_0014)

DFG



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn777426676/phys\\_0015](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777426676/phys_0015)

DFG



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/  
rosdok/ppn777426676/phys\\_0016](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777426676/phys_0016)

**DFG**

de quibus conqueritur Possevinus, Calvinianus  
ra de Bonaventura, quæ & in scriptis & in fa-  
notare in proclivi est, nunc non addimus. Tu  
puerulum nostrum, quem ad BONAVENTURAM  
culit optimus maximus Deus. Amplissimus  
p. m. cum spem de coeterus connubialis prae-  
BONAVENTURA de eo sibi pollicitus es  
nissima pueritia, adolescentia florida, juventu-  
tis virtutem composita suppeditatura esset. Sed  
na bona ventura praereptus est, ut in his terris  
venturum videre non potuerit. Pientissima  
conceperat BONUM VENTURUM, tan-  
parabili cum voluptate ulnis fidelibus excepto  
parenti exoscalandum porrigeret gestiens ne  
rat luctum ex eo, quod cum in communione  
gaudiorum advocare non potuerit. O quoties  
licitabat & madentibus suspexerat oculis, ut e-  
munionem illam desideratissimam adscisceret  
ter visum est illi, qui omnibus optimè provi-  
renti descendere incommodum esset, nec op-  
transstulit Filioli animam, pulcherrimam ejus.  
Parentem summus Pater. Non invidebit op-  
Parenti hoc gaudium, quod ex Filioli conspi-  
nec Filiolo has delicias, quas ex Parentis in ob-  
xibus sentit, qui si in terris diutius mansisset &  
crevisset æratem, quæ Parentem noscit & re-  
demum boni amissi damna sensurus fuisset. Sunt  
nostri origines redeamus. Originem in his  
Rostochii Ann. Chr. 1659. 18. Jun. circa hora  
nam. Patrem habuit Consultissimum & excel-  
lirum, Dn. CUNRADUM Schuckman J. U.  
forem Vicarium, Judicium Provincialis Assessio-  
num, vix tribus abhinc mensibus magno apud  
eunq; sui desiderio relieto nobis sublatum.

